

fitemini alterutrum etc. Quorum tamen rationes satis efficaciter solvit iterum, iterumque laudandus *Clericatus* l. c. a n. 17.

926. Q. VI. An hoc Sacramentum possit iterari; item quando et quoties?

R. *Ad* 1. Potest iterari, ut patet ex ratione *Trid.* n. 3. cit., quia non imprimit characterem. R. *Ad* 2. *Bened. XIV.* L. 7. de Synodo c. 23. discernit, extremam unctionem pluries in diversis infirmitatibus ab eodem infirmo rite suscipi, ac administrari debere; in eadem vero infirmitate non esse reiterandam, nisi forte infirmitate remissa iterum deinceps in-gravescat, ac novum vitae periculum accedat; ibid. parochos monet, ne nimium scrupulose in hoc se gerant, sed si dubitent, an revera status morbi sit immutatus, vel an nunc idem, an diversum adsit vitae periculum, ut ad Sacramenti iterationem propendeant; eo quod haec iteratio conformior sit veteri consuetudini Ecclesiae, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obveniat. Ex verbis *Trid.* n. 897. cit. deducit *Laym.* l. c. c. 4. n. 5. quod, dum idem est status morbi, quamvis diuturno tempore duret, non sit repetendum Sacramentum; secus si uno periculo remoto diversus morbi status incidat, quod tunc iterum ungi possit, licet intervallum temporis non longum, sed paucarum tantum hebdomadarum intercesserit, dummodo prudente practica consideratione censeantur diversa pericula.

CAPUT VI. De Sacramento Ordinis.

§. I. Praenotanda.

927. Praenot. I. Ordo vi nominis significat dispositionem rerum superiorum et inferiorum, quae ita inter se aptatae sunt, ut una ad alteram referatur. Ex communi usu ordo significat certum statum, vel conditionem hominum, qui alicui officio destinati sunt. Hic ad evitandas aequivocationes duplex debet distingui acceptio ordinis: primo enim sumitur pro speciali potestate exercendi aliquod officium Ecclesiasticum in ordine ad conficiendam Eucharistiam, ritu sacro et solempni collata. Hoc sensu ordo sumitur passive, ut effectus Sacramenti, et est quid *permanens*. Secundo, active sumitur pro ipsa ordinatione, aut sacra caeremonia, qua cuiuspiam praedicta potestas spiritualis ad ministeria Ecclesiastica exercenda confertur. Hoc modo ordo est quid *transiens*. De hac sacra ordinatione quaeritur, an sit Sacramentum.

928. II. Est de fide, quod ordo (Graecis *χειροτονία*, manus extensio, sive *impositio*) sit Sacramentum. Constat ex *Trid.* sess. 23. can. 3.: *Siquis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo D. institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et Sacramentorum, anathema sit.* Probatur etiam ratione. Ad Sacramentum proprie dictum tria requiruntur, ut sit signum externum sive sensibile, institutum a Christo, et habeat promissam, sive annexam gratiam: atqui haec tria habentur in sacra ordinatione: ergo. *Primo* habemus signum externum, videl. manus impositionem, cui *secundo* annexa est gratia, teste Apost. 1. Tim. 4. v. 14.: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii:* et 2. Timoth. 1. v. 6.: *Propter quam causam admoneo, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Exinde *tertio* clare patet, hanc caeremoniam per impositionem manuum esse institutam a Christo; nullus enim hominum, sed solus auctor gratiae huic signo externo potest annectere gratiam:

nec Apostolus id bene sciens, tam audacter affirmasset, per illud gratiam conferri, et quidem sanctificantem, videl. *spiritum virtutis et dilectionis*, nisi de ea Christi institutionem, ac promissionem cognovisset. Mandatum Christi si desideres, id satis colligitur, quod Apostoli nunquam ausi fuissent sibi arrogare potestatem conferendi gratiam per impositionem manuum suarum, si Christus ritum illum usurpare non praecepisset, quem tamen ritum et ipsi successores continuo usurparunt. Vide c. 6. Act. Apost., 1. Tim. 4. et 5., 2. Tim. 1. Testimonia Patrum hic suggerit plurima *Bellarminus*, *Laym.* L. 5. t. 9. c. 2. et alii; sufficiat unicum allegasse test. *S. Ambros.* de dignit. Sacerd. c. 5.: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera.*

929. III. Ordo ut Sacramentum institutus est a Christo in ultima coena verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. ut infra de Sacerdotio magis patebit.

930. IV. Juxta *Trid.* septem sunt ordines, quatuor vocantur minores scil. Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolythatus; et tres majores videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus. Sess. enim 23. c. 2. ita docet: *Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures, et diversi essent ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis Sacrae Litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: et ab ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scil., Acolythi, Exorcistae, Lectoris et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu: nam Subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.* Convenienter huic doctrinae in ead. sess. can. 2. definit: *Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

931. V. Porro Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus dicuntur majores et sacri. *Majores*, tum quia propius et immediatius accedunt ad confectionem Sacramenti Eucharistiae, tum quia ordinatorum in eminentiori gradu Ecclesiasticae Hierarchiae constituunt. *Sacri* vero, quia habent annexam obligationem perpetuae castitatis, per quam ordinati Deo consecrantur, et ab ineundo matrimonio impediuntur. Reliqui quatuor dicuntur *minores*, quia remotius ad conficiendam Eucharistiam concurrunt, et ordinatos in gradu inferiori Hierarchiae Ecclesiasticae constituunt. De his ordinibus tanquam receptis in Ecclesia mentionem fecerunt antiquissimi PP. *Clemens* l. 8. Constit. c. ult. *S. Ignatius* Epist. 11. ad Antiochenos salutari jubet *Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Janitores, et Exorcistas.* Addit quidem etiam *Cantores, sive Psalmistas et Laboratores*, qui defunctorum corpora curare solebant, et *sacrorum vestibulorum custodes*, qui tamen non erant ordines, sed officia Ecclesiastica, de quibus vide *Baron.* ad annum Christi 44. Clarissime *Cornelius* Papa (qui sedit ab anno 254.) in epist. ad *Fabium Antiochenum* apud *Euseb.* l. 6. Hist. Eccles. c. 43. ait: *In Ecclesia Catholica (de Romana loquitur) Presbyteros esse 44., Diaconos 7., Subdiaconos 7., Acolythos 42., Exorcistas et Lectores una cum Ostiariis 52.* De his 7. ordinibus ait *Laym.* L. 5. t. 9. c. 3. quod haud dubie

ex Christi Domini auctoritate proveniant, sive quod omnes ac singulos per se speciatim instituerit, et per Apostolos Ecclesiae tradiderit, ut illi existimant, qui defendunt, singulos hos 7. ordines esse Sacramenta; sive quod praeter majores quosdam ordines a se speciatim institutos, generalem in super potestatem, ac mandatum dederit Ecclesiae alios inferiores ordines, quatenus expedire visum fuerit, constituendi, ut multi cum *Victoria* censent.

932. VI. Ob quaestiones speculativas Theologorum, et Canonistarum (scil. an juxta Canonistas etiam prima tonsura sit verus ordo, item an Episcopatus sit ordo distinctus a Presbyteratu, item an singuli ordines tum majores, tum minores sint Sacramenta) non conveniunt AA. in danda definitione ordinis. Aptior videtur haec: Ordo est caeremonia sacra, qua per signum externum cum debita verborum forma confertur homini potestas spiritualis circa ministerium altaris vel proxime vel remote pro cujusque ordinis gradu exercendum. Dixi, *aptior*: quia haec definitio tum juxta illos, qui admittunt, omnes ordines esse Sacramentum, tum juxta illos, qui aliquos tantum ordines dicunt esse Sacramentum, ordini in genere convenit, et facit ordinem differre a reliquis Sacramentis. Alii, qui admittunt cum *Bonacina* d. 8. q. unica p. 1. n. 1. singulos ordines esse Sacramentum, dicunt, quod ordo sit Sacramentum, quo traditur specialis potestas (scil. vel immediata, ut in Sacerdotio, vel mediata, ut in reliquis ordinibus) ad conficiendum corpus, et sanguinem Christi.

933. VII. Sacramentum ordinis praeter gratiam secundam, sive augmentum gratiae sanctificantis (est enim Sacramentum vivorum) et jus ad speciales gratias ad digne obeunda ministeria Ecclesiastica, imprimi characterem, ideoque iterari non potest absque sacrilegio. Patet ex *Trid.* sess. 23. can. 4.: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum S., aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.*

Hisce praenotatis primo de tonsura, tum de singulis ordinibus per breves quaestiones ita agemus, ut ordinandi facilem habeant methodum ea discendi, quae potissimum pertinent ad examen ordinandorum.

§. II. De prima Tonsura.

934. Q. I. Quid sit *prima tonsura*? R. Est caeremonia Ecclesiastica, qua per abscissionem capillorum a legitimo ministro sub certa verborum forma homo baptizatus transfertur a statu laicali ad statum clericalem, et fit capax ordinum, jurium, et beneficiorum Ecclesiasticorum.

935. Q. II. Cur vocatur prima tonsura? R. *Tonsura* vocatur a sacro ritu, quo per abscissionem capillorum homo e statu laicorum evehitur ad statum clericalem. *Prima* vocatur, quia est prima habilitatio ad deferendam tonsuram clericalem, quae postea augetur per reliquos ordines cum proportionem ad augmentum gradus.

936. Q. III. An prima tonsura sit ordo? R. Negative, sed tantum est *praeparatio ad ordines suscipiendos*, ut docet *Catechism. Rom.* de Sacram. Ord. c. 7. n. 13. Ibid. n. 15. ita habet: *Post primam tonsuram ad Ostiarii ordinem primus gradus fieri consuevit. Ratio est, quia per illam non confertur potestas spiritualis circa ministerium altaris, sed tantum fit segregatio a statu laicali, et deputatio ad statum clericalem, ut eam suscipiens fiat capax ordinum proprie dictorum. Confirm. ex Trid., quod sess. 23. c. 2. docet, diversos ministrorum ordines ita distributos esse, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent; ergo separat tonsuram a minoribus et majoribus ordinibus. Ibid. expresse recenset sep-*

tem ordinum nomina, quibus non annumerat primam tonsuram; ergo. Contrarium defendunt Canonistae cum *Fagnano*, quorum argumenta erudite resolvit Eminent. Card. de Laurea Tr. de Sac. Ord. d. 4. a. 7. et 8.

937. Multo minus tonsura est Sacramentum, quia nec est signum visibile institutum a Christo, nec habet annexam promissionem gratiae. Unde nec imprimi characterem.

938. Q. IV. Quomodo ergo tonsuratus se habet respectu ordinatorum? R. Eo fere modo, quo Novitius respectu Professorum in religiosa familia.

939. Q. V. Habetne tonsura materiam et formam? R. Habet quasi materiam et quasi formam; cum enim non sit Sacramentum, non indiget vera materia et forma.

Quaenam illa? R. quasi *materia remota* sunt capilli, *proxima* eorum abscissio. *Forma* sunt verba illa Psal. 15. v. 5. tum ab Episcopo, tum a tonsurando, proferenda: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi.*

940. Q. VI. In quem finem hic ritus abscissionis capillorum observatur in Ecclesia? R. Ad significandum contemptum fastus saecularis et abdicationem negotiorum ac desideriorum saecularium, ut colligitur ex admonitione Episcopi tonsuram auspicaturi: *Oremus, fratres charissimi, Dominum N. J. C. pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum S., qui habitum Religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedimento, ac saeculari desiderio corda eorum defendat etc.*

941. Q. VII. An calvus possit suscipere primam tonsuram? R. *Affirm.* quia, cum prima tonsura non habeat veram materiam et formam, sufficiet eadem caeremoniam adhibere, quantum fieri potest, quae adhibetur cum iis, qui non sunt calvi. *Sennyei* p. 1. c. 2. n. 11.

942. Q. VIII. Quis sit minister primae tonsurae? R. De jure ordinario Episcopus consecratus: ex privilegio autem Cardinales in suis Ecclesiis Titularibus, et Abbates. Dixi, *Consecratus*: quia Episcopi tantum electi ante consecrationem possunt quidem concedere dimissorias ad ordines Clericis sibi subditis, sed non ordinare: quia primum est tantum actus jurisdictionis, alterum simul actus ordinis. *Cleric. de Sac. Ord. decis. 12. n. 6.*

943. Sed nonne cuilibet a quolibet Episcopo potest conferri prima tonsura? R. Per se tantum a proprio Episcopo, cum, ut dictum est, sit simul actus jurisdictionis. *Sennyei* l. c. n. 13.

944. Q. IX. Quisnam est effectus primae tonsurae? R. 1. est translatio a statu laicali ad clericalem. 2. Capacitas jurium, privilegiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum. 3. Habilitas ad suscipiendos ordines. Sic Episcopus completo tonsurae ritu inquit: *Filii charissimi animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis.*

945. Quid est status laicalis? R. Collectio hominum nullo speciali titulo ad servitium divinum deputatorum, neque gaudentium privilegiis et beneficiis ecclesiasticis. Sic laicus dicitur, qui nullo speciali titulo est dedicatus divino servitio, nec gaudet juribus, et beneficiis ecclesiasticis.

946. Quid est status clericalis? R. Est collectio hominum ritu ecclesiastico ad servitium divinum deputatorum, et capacium jurium, privilegiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum. *Clerus* a graeco κληρος, *sors, haereditas*, significat statum clericalem. *Clericus* est homo mas baptizatus, et per tonsuram a statu laicali ad ecclesiasticum translatus, et capax jurium, et beneficiorum ecclesiasticorum.

947. Q. X. Quaenam privilegia conferuntur per primam tonsuram? R.

Praeter capacitatem ad beneficia ecclesiastica: 1. Confertur privilegium fori, 2. Canonis; 3. Immunitas a tributis. *Privilegium fori* est immunitas a jurisdictione, et foro saeculari. *Privil. Canonis* est tale, ut si quis suadente diabolo h. e. ex malitia percutiat Clericum, sit excommunicatus juxta Can. *Si quis suadente*, de quo vide n. 788. *Immunitas a tributis* est exemptio a gabellis, exactionibus etc. auctoritate laica impositis, (quam immunitatem in omnibus pene statibus moderna legislatio Clericis abstulit, sicuti et privilegium fori aut restrinxit aut penitus diremit).

948. Q. XI. Quenam conditiones requiruntur, ut Clericus gaudeat actu his privilegiis? R. 1. Ut gaudeat privilegio fori, debet habere beneficium ecclesiasticum, deferre clericalem habitum et tonsuram, et suae aut alteri Ecclesiae ex Episcopi mandato inservire, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versari. *Trid.* sess. 23. c. 6. de reform. 2. Ut gaudeat privilegio immunitatis, non debet negotiari. 3. Ut gaudeat privilegio canonis, debet deferre habitum et tonsuram.

949. Qualem ergo tonsuram debent deferre Clerici? R. Intelligitur ratura capillorum per modum coronae in vertice, et in Minoristis sufficit, si sit tanta, quanta est particula communicantium, quae postea augeri debet cum proportione gradus ordinis. *Clericatus* de Sacram. Ord. decis. 10. non solam coronam sed etiam rescissionem capillorum intelligit, qui serviunt tantum vanitati. Hinc *S. Hier.* in epist. ad Eustochium invehitur adversus Clericos, qui mulierum more catenatos crines nutriunt.

950. Ad quid corona clericalis in vertice? R. *Primo* significat coronam spineam Christi, sub quo tanquam capite spinis coronato Clericos divino servitio dedicatos non decet esse membra delicata. *Secundo* significat Regale Sacerdotium, quod iis maxime convenire videtur, qui in sortem Domini vocati sunt, ut docet *Catechis. Rom.* l. c. n. 14. *Tertio*, ut supra dictum, significat amputationem curarum temporalium, et animum patentem divinis inspirationibus.

951. Q. XII. Quisnam est ille habitus clericalis? R. Ex Ecclesiae Decretis debet esse *talaris*, h. e. toga pertingens usque ad talos, vel saltem decenter longa et distinctiva Clericorum a saecularibus. Quoad colorem servanda est cujusque regionis consuetudo.

952. Q. XIII. An aliam praeterea vestem magis propriam habeant Clerici? R. *Affirm.* et illa vocatur *superpelliceum*, sic dictum, quia olim indui solebat super togam pelliceam. Est autem vestis lintea et candida ad denotandam animi simplicitatem, et candorem morum: simul per ampla est, ut significet amplitudinem charitatis, quae a Clerico exigitur.

953. Q. XIV. Quodnam sit officium tonsurati? R. Officium per se loquendo aliud non est, quam ut psalmos canat in choro, et ita vivat Deo, non mundo, sicut decet illum, qui speciali titulo rebus et servitio divino est addictus.

De subjecto primae Tonsurae.

954. Q. I. Quid requiritur, ut quis *valide* suscipiat tonsuram? R. Requiritur 1. ut sit mas; mulieres enim incapaces sunt ordinum, et ministeriorum ecclesiasticorum, ut patet ex 1. Cor. 14. v. 34.: *Mulieres in Ecclesia taceant*, et v. 35.: *Turpe est mulieri loqui in Ecclesia.*

2. Requiritur, ut homo sit baptizatus: quia qui vult gaudere privilegiis ministrorum Ecclesiae, prius debet per baptismum intrare Ecclesiam, et aggregari numero Christianorum. 3. Requiritur, ut homo rationis usum habens non plane coactus tonsuram suscipiat.

955. *Sed qualis baptismus requiritur?* R. Baptismus fluminis, quia per baptismum fluminis et sanguinis non imprimitur ille character, per quem homo fit capax reliquorum Sacramentorum, et ministeriorum ecclesiasticorum.

956. Q. II. Quid requiritur, ut quis *licite* suscipiat tonsuram? R. 1. ut quis sit immunis a censuris ecclesiasticis et irregularitate; 2. ut sit Confirmatus; 3. ut sciat rudimenta fidei, legere, et scribere; 4. ut habeat animum clericandi. Ita statuit *Trid.* sess. 23. c. 4. de reform.: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegerint.*

957. Q. III. Quae scientia requiritur in tonsurando? R. Ex modo dictis juxta *Trid.* debet scire rudimenta fidei, quae in Catechismi 5. Capitibus de Fide, Spe, Charitate, Sacramentis, et officiis Justitiae Christianae continentur. *Bened. XIV.* Tom. I. Bull. pag. 113. in Constit. 42., quae incipit: *Etsi minime* §. 10. de adolescentibus, qui ordinibus initiari volunt, ait: *rem fore magni commodi, multaeque utilitatis plenam, si qui se sistunt examini, eos Praesul potissimum interroget de iis, quibus Christiani hominis scientia continetur.*

958. Q. IV. Quae aetas requiritur? R. A Jure certus annus aetatis non est determinatus: plerumque tamen requiritur septennium completum, quia *Trid.* requirit, ut initiatus sciat rudimenta fidei, legere et scribere, quod ante usum rationis, qui anno aetatis septimo adesse censetur, raro potest reperiri. Alii juxta praxim variarum dioecesium requirunt decimum-quartum aetatis annum.

959. Q. V. Quenam sint Clericis prohibita? R. Praeprimis sequentia: 1. Ne officia, mercaturas, et negotiationes sordidas exercent. 2. Non dicent, neque proferant sententiam sanguinis, neque intersint, ubi de sanguinis sententia agitur. 3. Ne privilegiis suis renuntient: unde in manibus laici jurare non possunt, nec se subicere judici laico, nisi cum privilegium fori amiserint, vel ab Episcopo licentiam obtinuerint, quam in criminalibus dare nequit. 4. Ne ludant aleis. 5. Ne intersint jocos mimicis histrionum, jocularium, etc. item choreis. 6. Denique ne arma ferant etc. Vide *Senyey* p. 1. c. 2. a n. 53.

960. Q. VI. Quomodo se debeat disponere tonsurandus ad tonsuram? R. 1. Ante ordinationem bene se praeparet ad examen, ut sciat, quid sit tonsura, et rudimenta fidei. 2. Secum afferat attestationem baptismi. 3. Ipso die ordinationis ad locum ordinationis secum ferat *tunicam talarem, superpelliceum, et cereum*, si intra missarum solemniam tonsura conferatur: praeterea sciat memoriter versic. *Dominus pars haereditatis* etc. Denique si accepturus sit sacram Communionem e manibus Episcopi, prius confiteatur.

961. Q. VII. Quid coram Episcopo observandum sit tonsurando? R. Juxta *Pontif. Rom.* 1. Quando tonsurandus dicto *Kyrie eleison* sub missa vocatur, respondet, *Adsum*, moxque accedit, et facta profunda reverentia Pontifici, genuflectit coram illo. 2. Dicta oratione ab Episcopo, *Oremus, fratres charissimi D. N. J. C.* etc. dum Pontifex in fronte, in occipitio, ad utramque aurem, et in medio capitis praescindit capillos, cum eo tarde pronuntiat: *Dominus pars etc.* ut n. 939. dictum est. 3. Dicitur ab Episcopo oratio: *Praesta, quaesumus, omnipotens Deus* etc. a ministris antiphona: *Hic accipiet* etc. cum psalmo 23. *Domini est terra* etc. et iterum ab Episcopo oratio: *Adesto, Domine, supplicationibus nostris* etc. 4. Tum Epis-

copus accepta mitra sedet, et acceptum (quod Tonsus inserta utraque manu apte flectens coram Episcopo tenet) superpelliceum totaliter induit Tonsus, dicens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* 5. Episcopus dicta oratione: *Omnipotens, sempiterna Deus etc.* Clericum sic alloquitur: *Fili charissime, animadvertere debes, quod hodie de foro Ecclesiae factus sis, et privilegia clericalia sortitus sis. Cave igitur, ne propter culpam tuam illa perdas, et habitu honesto, bonisque moribus Deo placere studeas, quod ipse tibi concedat per Spiritum S. suum. R. Amen.* 6. Si non adsint alii ordinandi, Episcopus dicit tonsurando: *Dic semel septem psalmos poenitentiales cum litanis, versiculis, et orationibus, et omnipotentem Deum etiam pro me ora.*

§. III. De Ostiariatu.

962. Q. I. Quid sit Ostiariatus? R. Est ordo minor, in quo per traditionem clavium Ecclesiae sub certa verborum forma a legitimo ministro prolata confertur potestas aperiendi, et claudendi Ecclesiam, pulsandi campanas ad divinum officium, et ad illud admittendi dignos, et rejiciendi indignos.

963. Q. II. Quaenam sit materia remota et proxima Ostiariatus? R. Materia remota sunt claves Ecclesiae, proxima earum traditio.

964. Q. III. Quaenam sit forma Ostiariatus? R. Sequentia verba, quae profert Episcopus ad traditionem clavium: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.*

965. Q. IV. An valida esset ordinatio, si loco clavium Ecclesiae traderentur claves culinae, aut si unica clavis Ecclesiae traderetur? R. Ad 1. Probabilius est invalida, quia tunc falsificaretur forma, vi cujus actu debent esse claves Ecclesiae, cum dicantur ea tradi curae Ostiarii, *quae iis clavibus recluduntur* in praesenti; atqui clavibus culinae recluduntur tantum res, quae pertinent ad culinam, et pro quibus ordinandus non debet reddere Deo rationem: ergo. R. Ad 2. Valida esset ordinatio, si unica clavis Ecclesiae traderetur, quia adhuc sufficienter exprimeretur potestas hujus ordinis.

966. Q. V. An etiam traditio cymbali, ejusque pulsatio sit materia Ostiariatus? R. *Negative*: quia haec traditio non fit ab Episcopo, sed ab Archidiacono, neque forma illi correspondet. Additur autem haec caeremonia ad plenius declarandam potestatem, et officia Ostiarii.

967. Q. VI. Quaenam sint officia Ostiarii? R. Exprimuntur illa in admonitione Episcopi ad ordinandum: *Suscepturus, fili charissime, officium Ostiariorum, vide, quae in domo Dei agere debeas. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire Ecclesiam et Sacrarium, et librum aperire ei, qui praedicat. Provide igitur, ne per negligentiam tuam illarum rerum, quae intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperias fidelibus, et semper claudas infidelibus. Stude etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperis et claudis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis tuis claudas diabolo, et aperias Deo, ut divina verba, quae audierint, corde retineant, et opere compleant, quod in te Dominus perficiat per misericordiam suam.* Unde sequentia officia colliges. 1. Ostiarii est Ecclesiae januas dignis aperire, et indignis, h. e. infidelibus, excommunicatis, et quibus ab Ecclesia interdictum est, claudere. 2. Custodire vasa sacra, et omnem Ecclesiae supellectilem. Ostiarius (ut ait Catech. Rom. de Ostiar.) ex prima sua institutione erat Sacrarii custos, et Ecclesiae thesaurarius. 3. Pulsando campanam statis horis convocare populum fidelem ad divinum officium, et

sub ipso sacrificio pulsando cymbalum ad elevationem excitare populum ad majorem attentionem, et devotionem. Ecce quomodo hic primus ordo jam referatur ad missae sacrificium. 4. Addit Conc. *Mediolanense* I. tit. de Ostiar. *Ostiarius in Ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione officia divina perturbantes, et quovis modo indecore, atque irreverenter se habentes moneat; si pertinaces sint, expellat, aut ad Superiorem deferat, mendicantes excludat etc.*

968. Q. VII. Quaenam debeant esse propriae virtutes Ostiarii? R. 1. *Zelus domus Dei.* Ostiarius imitetur exemplum Christi, qui e templo ementes et vendentes ejecit, Joan. 2. *et qui non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum.* 2. *Vigilantia*, ut omnia in Ecclesia sint munda. Ostiarius cum Propheta Regio dicat: *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.* Psal. 25.

969. Dignitas hujus ordinis aestimari potest 1. Ex praestantia Levitarum in V. T., qui erant selecta Domini haereditas, excubantes ad quatuor portas domus Dei. Vide L. 1. *Paralip.* c. 9... 2. Ex dignitate eorum, qui praeficiuntur ad custodiam regii palatii, et thesauri: quidni longe major dignitas sit eorum, qui praeficiuntur ad custodiendam Dei domum, et curanda sacratissima, quae in ea recluduntur? 3. Denique quia Christus ipse exemplo suo illustravit ministeria Ostiariorum, ut dictum est n. praeced. *Neque dicas*: Laici hodie claudunt et aperiunt Ecclesias, pulsant campanas etc. ergo superfluum est hic ordo. R. Laici id non faciunt ex officio, neque cum speciali potestate Ecclesiastica ritu solemniter ad id deputati sunt, sicut Ostiarii.

970. Q. VIII. Quo ritu conferatur hic ordo? R. 1. juxta *Pontif. Rom.* Ante ordinationem ordinando necessaria sunt: *praevia confessio*, propter sacram Communionem, quam e manu Episcopi accipit: *in capillis modestia: corona minorum ordinum: tunica talaris: superpelliceum*, quo indutus accedit: *candela pro offertorio, si ordines intra missam recipiantur.* 2. In missis, in quibus non dicitur *Gloria in excelsis*, post *Kyrie eleison* conferuntur minores ordines: in quibus vero dicitur *Gloria*, eo dicto proceditur ad minores ordines. In missis quatuor temporum dicta prima oratione ordinatur Ostiarius, post secundam lectionem Lector, et sic deinceps. Dum Archidiaconus vel alius minister ordinandum vocat, 1. ordinandus respondens, *Adsum*, accedit, et facta profunda Pontifici reverentia genuflectit coram eo: tum Pontifex illum admonet dicens: *Suscepturus, fili charissime etc.* Deinde claves Ecclesiae, *quas manu dextera tangit ordinandus*, traduntur ab Episcopo cum forma supra cit.: *Sic age, quasi redditurus Deo etc.* 2. Post haec Archidiaconus ducit Neo-ostiarium ad ostium Ecclesiae, et facit illum claudere et aperire januam. 3. Idem Archidiaconus tradit Ostiario campanulam, quam Ostiarius pulsat. 4. Reducitur ad Episcopum, coram quo genua flectit. Episcopus autem versus ad ipsum dicit: *Deum patrem omnipotentem etc.* 5. Denique Episcopus mitra deposita, et conversus ad altare dicit: *Oremus.* Ministri vero: *Flectamus genua. Levate*, et statim Pontifex conversus ad genuflexum stans sine mitra dicit: *Domine sancte, pater omnipotens, aeterna Deus, benedicere et dignare etc.* Dicta hac oratione Neo-ostiarii surgunt, factaque Episcopo reverentia recedunt.

§. IV. De Lectoratu.

971. Q. I. Quid sit Lectoratus? R. Est ordo minor, in quo per traditionem libri lectionum sub certa verborum forma a legitimo ministro